intellectum dans diuersis interpraetationis occasionem addidit dicens,
sicut enim adheret cinctorium circa lumbos hominis sic adgluti
me naui ad domum isrl et omnem domum iuda ut fierent mihi in populum
nominatum et in exultationem et gloriam et non audierunt me. Igitur
propheta in hoc loco pro domino accipiatur circumdans lumbo suo cinctorium
lineum ut populum dei. Adglutinaui quippe ait ad me domum israhel!
et quodam modo cinctorium dei homo iustus efficitur; quaeras quam
ob causam. lege ezechiel et intellege quomodo deus uideatur in corpore
et quam ob rem a lumbis eius usque ad pedes ignis appareat et a lumbis
usque ad caput electrum. tunc poteris etiam praesentem scripturae ratio
nem scire quare inferiores partes dei igneae sunt, renes generationis et
lumbi igne censentur, omnia quippe quae ex coitu et uoluptate sunt
indigent purgatione et ipsa purgatio inmixta est supplicio. Ea uero quae
a renibus in superiora consurgunt et libidinis opera uirtute transcen
dunt quasi quaedam materia pretiosa priora ad electri similitudinem
referuntur. dicitur quippe electrum auro esse pretiosius.
Quia igitur exemplis scriptura utitur ut ostenderet supernum dei
corpus esse magnificum et inferum uilius. Idcirco nunc intro
duxit dominum ex igne et electro subsistentem ex quo unusquisque nostrum
iuxta exordium natiuitatis suae ad ignem refertur. iuxta stu
dium uero et profectum dei corpus efficitur. illud superius illud ex e
lectro a uel igne nobis a poenis et cruciatu recedentibus. Adinge er
go circa lumbum tuum cinctorium lineum ut cum ostendatur
populus tegimen esse dei; aduersum eos quippe qui uolunt accu
sare pudentiam resistit et protegit dei sua opera. nec sinit aliquid
indecens de eius maiestate narrari. Sed cum peccauerimus. ut
cinctorium istud propheta deposuit et abiecit illud in eufraten
fluuium ut ibidem conputresceret. sic et nos abici et a lumbis suis
deus et protector relinquet ad eufraten fluuium mesopotamiae
ubi assyrii habitant inimici isrl ubi babylonii. et ibi conpu
trescimus; cur enim tantis in toto orbe fluminibus praetermissis
De iudea ad eufraten propheta transmittitur. nisi ut sacra
mentum iuxta uim nominis doceat intellectum. post haec
quaerimus quare cinctorium lineum dicatur; linum e ter
ra nascitur. nam cum sementis lini uel lininum fuerit abiectum